

Hs. 251, 3, 5 (saec. XVIII) : 3 Brevis informatio circa abbatias O. Praem. restitutas. — 5 : Extractus super obligationibus per abbates O. Praem. observari debitis.

Hs. 263, 8 (saec. XVII) : Aufzeichnungen von Liegenschaften verschiedener ungarischer Abteien.

Hs. 267, 1, Band 3 (saec. XVIII) : wie Hs. 251, 5.

Hs. 274, 4, 5 (saec. XVIII) : wie Hs. 251; 3, 5.

A. STARA, O. Praem.

* * *

RELATIONES ORDINIS NOSTRI CUM ORDINE CISTERCIENSI

Ultimis annis (1933-1939) publicata fuerunt, curante D. Jos. CANIVEZ, ord. Cist. Ref., *Statuta Capitulorum Generalium Ordinis Cisterciensis*. Septem volumina haec, edita in serie cui titulus : Bibliothèque d'Histoire Ecclésiastique, Lovanii, complectuntur Capitula Generalia Ordinis habita ab anno 1116 ad annum 1786.

Percurrendo haec volumina, quorum momentum pro legislatione et usibus Ordinis antiqui, cum Ordine nostro in antiquitate nonnihil affinis, neminem fugiet, varia notavimus quae in Capitulis illis generalibus tractate fuerunt relate ad facta et casus Ordinem nostrum directe spectantia. Notata illa hic subjungimus, addendo annum in quo Capitulum de re illa tractans habitum fuerit et paginas praesentis editionis, ubi notata illa legi possunt.

1. (Vol. I. — Pag. 35-37).

Anno 1142. — Cisterciensium et Praemonstratensium fraterna Pax.

Editioni hujus documenti praemittit dom Canivez : Legitur hoc documentum apud Manrique, Cisterciensium seu verius ecclesiasticorum annalium a condito Cistercio tomi IV, Lugduni, 1642-1659, ann. 1142, cap. IX, n° 5-8, et originale documentum adhuc asservatur in Archivo publico regionis Hte-Marne, Série H, fonds de l'abbaye de La Chapelle-aux-Planches (ord. Praem.). — Idem documentum legitur apud Le Paige, Bibliotheca Praemonstratensis Ordinis, Parisiis, 1633, pag. 322 s. Cum autem inter textum quem legimus apud Le Paige quaedam lectiones variantes habeantur relate ad textum relatum hic a Dom Canivez, textum hunc ultimum transcribimus, notando ejus diversitates a textu relato a Le Paige, l.c.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis, amen.

Confirmatio societatis et pacis inter Cistercienses et Praemonstratenses. Igitur ad custodiam pacis et charitatis uriusque capituli assensu, inter utrumque ordinem constitutum est et confirmatum, ut nullus Cisterciensium canonicum vel novitium seu conversum Praemonstratensis ordinis, nullus Praemonstratensium monachum, vel novitium seu conversum Cisterciensis ordinis, nisi ex pari consensu recipiat.

Nullus in utroque ordine locum ad abbatiam aedificet circa alterius abbatiam (Le Paige : locum recipiat ad Abbatiam construendam nisi) infra quatuor leucas ad mensuram uniuscuiusque provinciae, praeterquam in Anglia, ubi duae lecae pro una computentur et in Lombardia (Le Paige : Longobardia) duo milliaria pro una leuca nisi forte antiqua loca sint, quorum redditus, et possessiones ad tenendum convendum sufficiant. De grangia ad grangiam, sive de grangia ad abbatiam ad minus semper una intersit leuca. Mansio vero sororum ab abbazia distet duabus leucis. Verumtamen terrae illae, quae ante annum Incarnationis et diem, qui subscriptus est, susceptae fuerant, (Le Paige : fuerint, similiter hac lege non tenebuntur) hac lege non tenebuntur, siquidem singulae terrae ad integram carrucam suffecerint vel ad aedificandam abbatiam susceptae fuerint.

Nullus in utroque ordine alter ab altero tem de nutrimentis quam de laboribus decimas exiget, vel accipiet. Si aliquis in utroque ordine, de qualibet re emenda, vel acquirenda loco suo, praesens (Le Paige : prius) tractare, vel aliquem convenire inceperit, antequam sponte dimiserit, nullus de alio ordine sibi usurpare, vel impedire praesumat. Si forte in aliquibus locis (locis ommittitur apud Le Paige) inter aliquos utriusque ordinis aliquid querimoniae emerserit, et inter eos familiariter per aliquos mediatores componi non poterit, sine maiori audientia differetur, et ad audientiam alterutrius (Le Paige : generalis) capituli referetur. (Le Paige : Ut) Quisques in eodem capitulo reus esse claruerit, quod intulit damnum, prius restituat, et postmodum in capitulum abbatis, quem offendit, veniens, usque ad satisfactionem ante pedes eius se humiliet. Reliquum vero poenitentiae in dispositione generalis capituli sui ordinis permaneat.

Commemorationem et plenarium officium pro omnibus defunctis suis, singulis annis, invicem faciant. Quod ut firmum deinceps, et in aeternum quamdiu utriusque ordinis status inconvulsum permaneat, ego Rainardus (Le Paige : Raynaldus) Cisterciensis abbas et generalis nostri capituli conventus : ego quoque Hugo Praemonstra-

tensis abbas et generalis nostri capituli conventus, praesenti charitatis chirographo firmamus, et sigillis nostris pariter consignamus (Le Paige : consignavimus, signamus).

Sigillum Rainardi Cisterciensis abbatis (Raynaldus de Bar, † 1151),

Bartholomaei abbatis de Firmitate (Quartus abbas de Firmitate, quem nonnulli Bernardi Claraevallensis fratrem asserunt),

Bernardi Claraevallensis abbatis († 1153),

Wichardi Pontigniacensis abbatis (aut Guichardi, secundus abbas Pontigniaci, deinde Lugdunensis archiepiscopus, † 1180).

Sigillum Hugonis Praemonstratensis abbatis (Beatus Hugo Fossensis, † 1161).

Walteri Laudunensis, abbatis (seu Galterus, primus abbas Sancti-Martini Laudunensis).

Gernaldi, Floreciensis abbatis (seu Gerlandus, tertius abbas Floreffiensis).

Henrici Viriacensis abbatis (primus abbas Vallis-Serenae).

Actum est hoc anno Incarnationis Domini M.CXLII, epacta XX, indictione quinta, concurrente tertio, quinto Idus octobris.

(Subscriptiones istae ita sese habent apud Le Paige : Raynaldus Cisterciensis Abbas, Bartholomaeus Abbas de Firmitate, Bernardus Claraevallensis Abbas, Vvichardus Pontiniacensis Abbas, Hugo Praemonstratensis Abbas, Vvalterus laudunensis Abbas, Gerlandus Floreffiensis Abbas, Henricus Vivariensis Abbas. Actum Praemonstrati Anno Incarnationis Dominicae 1142. Epacta vigesima, Indictione quinta, concurrente tertio, quinto Idus Octobris).

2. (Vol. I. — Pag. 39).

Anno 1150. — Pax inter Cistercienses et Praemonstratenses turbata.

Praemonstratenses, inter quos Philippus, abbas Bonae-Spei (Philippus de Harvengt, † 1182), et alii plures et graviores, quin ipse pastor et pater totius ordinis, amaras litteras scripserunt rumpentes foedus, vel rumpendum comminantes, nisi multa per nostros emendarentur. Haec epistola ad Capitulum delata, perlectaque, ad Bernardum remissa qui responderet (Haec responsio est epist. CCLII Bernardi).

3. (Vol. I. — Pag. 135).

Anno 1191.

Scribatur Capitulo Praemonstratensi ut compositionem quae facta est ante plurimos annos inter illorum ordinem et nostrum firmiter

a suis faciat observari, et cogant suos ne aliquis eorum audeat exigere decimam amplius.

4. (Vol. I. — Pag. 173).

Anno 1194.

Querela Praemonstrati contra quosdam abbates Ordinis nostri committitur terminanda domino Claraevallis.

5. (Vol. I. — Pag. 230).

Anno 1198.

Ad Capitulum Praemonstratense mittantur Abbates Ursi campi (Ourscamp, in dioec. Bellovacensi) et de Valcellis (Vaucelles, in dioec. Cameracensi) pro Ordine responsuri.

6. (Vol. I. — Pag. 344).

Anno 1207.

De querelis quae vertuntur inter Cisterciensem et Praemonstratensem Ordinem, committitur abbatibus Ursicampi, de Gardo (N. D. du Gard, in Picardia, dioec. Ambianensi) et de Bellantiis (seu Valanciae, Valloriae, Valloires, in dioec. Ambianensi), qui Praemonstratum venientes, tempore generalis Capituli, audiant diligenter quid propositum fuerit contra Ordinem nostrum, et respondeant quod utilius viderint respondendum.

7. (Vol. I. — Pag. 498).

Anno 1218.

Querela abbatis Vallis Christianae (Val-Chrétien, in dioec. Suessionensi) ordinis Praemonstratensis contra abbatem Longipontis (Longpont, in Picardia, dioec. Suessionensi) ex parte Capituli Cisterciensis committitur abbatibus Igniaci (Igny, in dioec. Remensi) et Signiaci (Signy, in dioec. Remensi) qui compositione inter duos Ordines iamdudum facta diligenter inspecta cum aliis duobus abbatibus ab abbate Vallis Christianae pro parte sua assumptis, pace vel iudicio studeant terminare. Quid autem super hoc fecerint sequenti Capitulo denuntient.

8. (Vol. II. — Pag. 90).

Anno 1230.

Controversia quae est inter abbatem de Verbo Dei (juxta Dom Canivez, ita designatur Averbode, secundum Galliam christianam, V, 106) Praemonstratensis ordinis et abbatissam de Rameya (Ra-

meige, in Belgio, dioec. Mechlinien.) super vicinitate grangiarum, contra compositionem quae est inter utrumque Ordinem ut debet praedictus Praemonstratensis, committitur abbatibus de Villari (Villers-en-Brabant, in dioec. Mechlinien.) et de Alna (Aulne, in Hannonia Belgii, in dioec. Tornacen.) fine debito terminanda.

9. (Vol. II. — Pag. 108).

Anno 1232.

Factum abbatae Laurisien (Dom Canivez notat : Laurissa, Laurisheim, antiqua abbatia O.S.B., in dioec. Moguntina, a Gregorio IX Cisterciensibus subiecta, sed ab Innocentio IV ordini Praemonstratensi incorporata; citatur : L. Janauschek, *Origines Cistercienses*, Vindobonae, 1877, p. LXIV) committitur abbatibus de Villerio (Villers-Bethnach, in Lotharingia, dioec. Meten.), de Novo castro (Neubourg, in Alsatia, dioec. Argentinen.), Maceriarum (Mazières, in dioec. Divionen.), ut ipsi videlicet inquirant fundamentum et processum facti et instrumentorum tenorem et rationes et omnia quae ad factum huiusmodi spectant, nulla innocatione vel immutatione interim facta. Hoc etiam inhibetur ne aliqui de Ordine supplicando vel rogando vel quocumque modo procurando se intromittant de hoc facto donec renuntiatum fuerit Capitulo Generali.

Iniungitur abbatibus de Igniaco (Igny, dioec. Remensi) et Ursicampo (Ourscamp, in dioec. Bellovacen.) et de Frigidomonte (Froidmont, in dioec. Bellovacen.) ut pro sopiendis dissentionibus et querelis quae sunt inter Ordinem nostrum et Ordinem Praemonstratensem, abbati Praemonstratensi diem et locum competentem assignent ad quem utraque pars debeat convenire.

10. (Vol. II. — Pag. 206).

Anno 1239.

Petitio Praemonstratensis abbatis de renovanda pace inter suum et nostrum Ordinem committitur Fusniacensi (Foigny, in dioec. Laudunen.), Ursicampi (Ourscamp, in dioec. Bellovacen.) et Frigidimontis (Froidmont, in dioec. Bellovacen.) abbatibus, qui soluto Capitulo conveniant cum illo apud Compendium ad tractandum et ordinandum quod utrique Ordini viderint expedire.

11. (Vol. II. — Pag. 344).

Anno 1249.

Querela abbatis de Mercato Radulphi (Marcheroux, in dioec. Rothomagen.) Ordinis Praemonstratensis contra abbatem Vallis

Beatae Mariae Ordinis nostri (N.-D. du Val, in dioec. Versalien.), de Bellobecco (Beaubec, in dioec. Rothmagen.) et de Frigidomonte (Froidmont, in dioec. Bellovacen.) abbatibus committitur pacificanda, et quid inde, Abbas de Bellobecco hoc collegae suo denuntiet.

12. (Vol. II. — Pag. 433).

Anno 1257.

Querela abbatis loci Restaurati (in dioec. Suessionen.), Ordinis Praemonstratensis, contra abbatem Montis regalis (Royaumont, in dioec. Bellovacen.), de Ursicampo (Ourscamp, in dioec. Bellovacen.) et de Igniaco (Igny, in dioec. Remen.) committitur abbatibus in plenaria Ordinis potestate.

13. (Vol. III. — Pag. 97).

Anno 1271.

Super distantia abbatiarum de Bosco, de Biloque, et de Axele, committitur abbati Clarevallis qui ad locum personaliter accedat et componat, si potuerit, inter partes; alioquin procedatur secundum quod ei iniunctum est a Capitulo generali, et similiter faciat cum abbate de Irachinon, Praemonstratensis Ordinis.

14. (Vol. III. — Pag. 210).

Anno 1281.

Item, cum secundum Apostolum ad hospitalisatem omnium et maxime domesticorum fidei teneamur, statuit et ordinat Capitulum generale, quod fratres de Ordine Praemonstratensium cum ad abbatias nostras declinaverint, caritative recipiantur, et eisdem liberaliter et honeste ministretur.

15. (Vol. VI. — Pag. 284).

Anno 1502.

Abbate monasterii de Crista referente ad notitiam praesentis Capituli generalis, quod religiosi viri abbas et conventus de Septem fontibus, Ordinis Praemonstratensis, considerantes antiquam sui Ordinis ad nostrum Ordinem devotionem et affectum, humiliter et devote a nobis participationem seu associationem omnium bonorum, quae in eodem monasterio de Crista de cetero fient, sicut e converso, praedicti de Septem fontibus omnium etiam bonorum, quae apud eos perpetuis temporibus fient, eorum generali Capitulo consentiente, dictis fratribus de Crista concesserunt, prout per litteras super hoc confectas, sigillo dictorum abbatis et conventus Septem fontium

sigillatas, ad plenum nobis innotuit, quorum devotioni praesens generale Capitulum congratulans propositum quoque laudans concedit, ut dicti de Crista sua ex parte faciant, quae pro se alios facere cognoverint, in plenaria Ordinis potestate faciant.

16. (Vol. VI. — Pag. 699).

Anno 1531.

Tractatum inter abbatem et conventum monasterii de Moroliis, in dioecesi Malleacensi, ex una, et abbatem et conventum monasterii de Iardo, Ordinis Praemonstratensis, in dioecesi Lucionensi, ex altera partibus, super nonnullis terris et possessionibus ad certum annum proventum, per dictum monasterium de Iardo, praedicto monasterio de Moroliis, datis et per eos acceptatis, ut in litteris super hoc confectis plenius continetur, praesens generale Capitulum, quia ipsum tractatum, cui praesentes annectuntur, ad relationem Rmi D. Cisterciensis, qui super commodo vel incommodo praefati tractatus informationes debitas per abbatem Caroliloci fieri fecit, ipsum secundum tenorem ratificat, approbat et confirmat.

J. B. V.